MITCHELL

[P]

TENTAMEN MEDICUM

DE

SCROFULA,

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE DE SCROFULA,

[P]

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

Eruditorum censurae subjicit

GULIELMUS MITCHELL, A.M.

BRITANNUS.

Ad diem 31 Julii, hora locoque solitis.

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσιν.

HESIOD.

EDINBURGI.

EX OFFICINA ROBERTI ET ANDREAE FOULIS

M.DCC.LXVI.


316720
WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO CLARISSIMO,

ALEXANDRO RUSSELL,

MEDICINAE DOCTORI,

NOSOCOMII DIVI THOMAE

APUD LONDINENSES

MEDICO ORDINARIO,

HUMANITATE ET MORUM PROBITATE CONSPICUO,

PERITIA MEDICA,

REI NATURALIS SCIENTIA,

ET CUJUSVIS GENERIS DOCTRINA

QUAM MAXIME ORNATO,

FAUTORI SUO IMPRIMIS COLENDO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS VOLUIT

GULIELMUS MITCHELL.

TENTAMEN MEDICUM

DE

SCROFULA.

CONCURSUS diverſorum ſymptomatum, quorum praecipuum eſt intumeſcentia glandularum lymphaticarum ſeu conglobatarum, in cervice, aliiſve corporis partibus, *ſcrofula* vocatur. Definitio.

Graeci glandulas iſtas tumidas, χοιράδες appellarunt, ab HIPPOCRATE etiam φύματα χοιρώδεα, et a PLUTARCHO φύματα χοιραδώδη (*a*) vocantur, nominibus a ſuibus deſumptis; fortaſſe ex tumore quodam gutturis cui obnoxia ſunt animalia iſthaec. PLINIO teſte, "Guttur homini tantum "et ſuibus intumeſcit aquarum quae potantur "plerumque vitio."(*b*) Traduntur ab auctoribus et aliae rationes, quibus non immoramur. Nomina.

Inter Romanos glandula tumefacta *ſtrumae* appellationem obtinuit. Opinantur quidem nonnulli, CELSUM hoc nomine deſignare potius *bronchocelen*, vitium iſtud gutturis, Alpicolis, uti conſtans fama eſt, maxime familiare: perſpicere ta-

(*a*) Conviv. diſput. 4. prob. 2.
(*b*) Lib. 9. cap. 37.

men nequeo, quo pacto ſedes variae, *ſtrumae* ab eo conceſſae,(*a*) bronchocele, qua guttur unice afficitur, applicari poſſint. Recentiores Graecam appellationem Latine reddentes, *ſcrofulam* dixerunt, et nunc ſcriptores *ſtruma* vel *ſcrofula* indiſcriminatim utuntur ad hunc affectum deſignandum. Cum clariſſ. SAUVAGESIO (*b*) autem, totum morbum, *ſcrofulam*, ſingulos vero tumores glandularum, quos ſolos veteres reſpexiſſe videntur, *ſtrumas* vocamus.

Morbus hicce apud Italos *la ſcrofola* audit, apud Gallos *les écrouelles*, unde vulgus Scoticum ſuum *cruels* mutuaſſe videtur: horum origo ex *ſcrofula* facile conſpicitur. Ab Anglis, *the Kings evil, malum regium*, ex fabula ſanationis ejus a tactu regum Angliae et Galliae, et ſaepiſſime *the evil* ſimpliciter, nominatur.

Hiſtoria morbi. Strumae.

In hac affectione partes nullae crebrius laborant quam glandulae lymphaticae; hae attolluntur in tumores rotundos vel olivares, aequales, circumſcriptos, initio mobiles, atque, niſi inflammentur, cuti concolores et indolentes, *ſtrumas* appellatas: inciſione facta, propria membrana incluſae reperiuntur. Obſcura admodum, neque obſervata origine plerumque incipiunt; in principio una tantum glandula vel pauciores af-

(*a*) Naſcuntur maxime in cervice, ſed etiam in alis, in inguinibus et in lateribus. Lib. 5. cap. 28. 7.
(*b*) Noſolog. method. T. 3. part. 2. pag. 407.

ficiuntur, plures poſtea vitium aggreditur, ut ſibi invicem racematim ſeu catenatim connexae deprehendantur. Curſu lentiſſimo increſcunt ſtrumae, variamque magnitudinem adipiſcuntur, ab ea qua naturaliter gaudent glandulae, ad ovi gallinacei, vel etiam pugni molem. Ingentes quidem viſas fuiſſe legimus, quadraginta et ſexaginta librarum(*e*); de his tamen merito dubitandum. Videntur obſervatores ſteatomata vel alios tumores ſimiles pro ſtrumis habuiſſe.

Tumor glanduloſus initio mollis, poſtea durior evadit, digitorum tamen preſſioni ſemper aliquantulum cedit, eaque ſublata, priſtinam formam facile recuperat. Mobilis eſt in principio, etiamque interdum ubi magnitudine inſigni gaudet; aliquando tamen cuti ſuperincumbenti, partibus finitimis, aliiſve ſimiliter affectis glandulis, adcreſcit, et immobilis fit. Circumjecta tela celluloſa humorum affluxu infarcitur nonnunquam, ut glandula vix ulterius circumſcripta dicenda ſit.

Glandulas conglobatas quaſcunque vel omnes occupare poteſt hoc vitium, maxime tamen afficiuntur inter externas, quae glandulae parotidi et maſſeteri muſculo incumbunt, ſub inferiore maxilla, et in ejus margine, ubi arteria la-

(*e*) In humero, Bonet. Sepulchret. T. 3. p. 281. ed. Genev. 1700. In coxa, in genu, et in inguine, Joh. Langius epiſt. med. 3. lib. 4.

bialis in faciem adſcendit, collocantur. In reliquo cervicis tractu ad claviculas uſque, ut et in facie circa os zygoma, ſtrumas videre non admodum rarum eſt. Naſcuntur etiam in alis, et in inguinibus, minus frequenter quidem quam in collo, et quibus accidunt, ulcus quoddam plerumque vel oſſium caries, artuum affectorum partem aliquam infeſtat (*f*). Interdum quoque conſpiciuntur ad muſculum bicipitem, prope cubiti flexuram, et ab inguine per femur continuatae, iiſdem ulceribus exortae. In imo cubito, paulo ſupra carpi articulum, glandulam tumefactam, mihi bis obſervare non ita pridem contigit, in puellis, ulceribus digitorum laborantibus: earum alteri, quae ſecundum aetatis annum vix attigerat, glandula in media et interna femoris parte, juxta vaſorum iter, ad magnitudinem juglandis extumuerat, vitio nullo in inferioribus iſtius artus conſpicuo.

Ex internis glandulis, in ſcrofula ſaepiſſime infarciuntur meſentericae, omnium fortaſſe, in corpore humano, huic vitio maxime obnoxiae, quae ex aliis etiam cauſis, ſaltem ubi aliud non invenitur hujus affectus ſignum, non raro tumidae reperiuntur. Tritiſſimum eſt effatum J. RIOLANI, ſtrumas nunquam foras erumpere, niſi meſenterium iis refertum fuerit; ſententia quae

(*f*) J. Fallon Diſſert. inaugur. de ſtrumis, Edin. 1758 p. 34. 36.

omnibus non arridet. Utique rem ſemper ita ſe habere minime credendum(*g*); haſce tamen glandulas in ſcrofula tumidas ipſe in cadaverum ſectionibus aliquoties obſervavi, et hoc ſaepe ſaepius evenire, docent innumerae fere obſervationes, a variis auctoribus, literis conſignatae. Sed ex inveterato morbo defunctis inciſis, qualia in principio adfuerint vix detegere poſſumus. Glandulae bronchiales vel pulmonares etiam in hac affectione crebro patiuntur. In morbo inveterato nonnunquam glandulae pene omnes, et internae, et externae, ſtrumoſae, conſpiciuntur.

Interdum denique in corporis partibus, ubi nondum ſatis certo demonſtratae fuerunt glandulae lymphaticae, inveniuntur tumores glanduloſi, vel his ſaltem ſimillimi(*h*). Tales, *glandulas adventitias* nominat WHARTONUS(*i*).

Strumae, in loco quem primum occupant, non ſemper fixae permanent, ſed ex eo nonnunquam recedunt, iterumque in alia ſede reſurgunt; deſertis etiam glandulis, vitium in ar-

(*g*) In puella ſcrofuloſa phthiſi extincta, nulla in abdomine ſcirrhoſitas notabilis reperta fuit. Bonet. Sepulch. t. 1. p. 783.

(*h*) In cranii cavo, Bonet. Sepulch. t. 3. p. 265. nervis opticis incumbentes, Sauvages Noſol. meth. t. 2. part. 2. p. 291. In omnibus fere corporis locis. Wiſeman, Several chirurgical Treatiſes, Lond. 1676. fol. p. 251. cum aliis auctoribus.

(*i*) Adenograph. cap. 37. 38.

ticulos, aliasve partes, irruere observatur quandoque (*k*).

Strumae exitus.

Glandularum tumores cursu lentissimo increscunt, diu indurati restant saepius, et exitum sortiuntur diversum; resolvuntur aliquoties, frequenter etiam suppurant; utrumque segniter admodum fit. Maturatio fere semper imperfecta est, et portio aliqua glandulae indurata manet; interdum ipsa glandula vix afficitur, suppurata tantum circumfusa cellulosa tela; intacta autem struma, aperto abscessu, educitur. Purulenta materia in abscessu formata, integumenta paulatim exedit, per foramina exigua foras emanat; frequenter, tamen hinc, inde, ante erosam cutem, vel etiam post ejus corruptionem, exitum minus liberum per poros exiles inveniens, diffluit, cuniculos, longe lateque excurrentes, communicationes cum aliis glandulis suppuratis habentes, efficit. Dilatantur postea foraminula, in unum coeunt, ulcera aperta, perversa, exedentia, non raro sinuosa, sordida, cum labiis tumidis, pallidis, crassis, fiunt.

In talibus ulceribus pus rite concoctum vix unquam conspicitur, sed materia serosa, pallida,

(*k*) Forestus obs. chir. lib. iii. schol. ad obs. 10. Wharton cap. 40. exempla videas apud Russell de tabe gland. hist. 15. Oxon. 1750. Miram etiam observationem habet Fallon a cl. Alston communicatam p. 20. Sublata glandularum pulmonarium obstructione, subinde in cervicis glandulis morbum repullulare, notat Russellus Aph. 43.

tenuis, grumis inſtar lactis coagulati ſubinde commixta, ut plurimum emanat; craſſa, alba, adipoſa viſa eſt. Nonnunquam mira quaedam et prorſus ſingularia in his abſceſſibus vel in glandulis poſt aegrotantis obitum diſſectis comperta fuerunt; ſic a variis auctoribus, concreta caſeoſa, cretacea, gypſea, calcaria, tophacea, ſabuloſa, calculoſa, lapidea, cartilaginea, oſſea, in his inventa fuiſſe traditum eſt. Ulceribus hiſce glandularum, aliarumque partium ſcrofuloſis, carnem fungoſam excreſcere admodum familiare eſt (*l*).

Etſi ſtruma ut plurimum vel per reſolutionem, vel per ſuppurationem, deſinat, non deſunt tamen exempla, ubi in ſcirrhum exquiſitum, exinde in cancrum degeneravit (*m*). Sed diriſſimum malum hocce, glandulis conglomeratis nimis frequens, conglobatas raro prehendit.

Praeter glandularum affectiones, multa alia notanda occurrunt. Ulcera in variis corporis partibus, ubi nondum ſatis certo monſtratae fuerunt glandulae lymphaticae, oriuntur, ſordida, ſinuoſa, iſtis quae ſtrumas ſuppuratas inſequuntur, ſimillima. Materia grumoſa, coagulata, his, ut ulceribus ſcrofuloſis omnibus, familiaris eſt. Lympham, inſtar aquae pellucidam, ex digitorum

Ulcera.

(*l*) Wiſeman p. 287. Sharp, operations of ſurgery. introd. p. 35.

(*m*) Platerus obſ. p. 693. Baſil. 1640. 8. Bonet. ſepulch. T. 3. p. 295.

ulceribus, per foramina exigua, guttatim exſudare notavi. In corporis extremitatibus ſaepiſſime, in trunco rarius, in capite vero omnium rariſſime conſpiciuntur (*n*).

Facies turgida &c.

Facies inflata, tumore molli, diffuſa, indolente turgida apparet; rubore florido, roſeo ſuffunditur. Haec in genis maxime conſpicua ſunt, ante ſtrumarum in collo eruptionem apparent interdum, eaſque praenuntiant (*o*). Labia, et ſuperius praecipue, in tumorem pallidum, ſulcis interſtinctis elevantur, naſus quoque non raro intumeſcit. Interiora naſi ulceribus quandoque inquinantur, nares ipſi materia oppilati et incruſtati reperiuntur. Tonſillas ſaepe largiores et tumefactas deprehendimus.

Ophthalmia.

Scrofuloſis oculi teneri, lucem refugientes, ophthalmia ſaepe laborant; palpebrarum margines tument, materia viſcoſa obducuntur, excoriantur, dolor, rubor, ardor, morſus accedunt; conjunctiva, rubra, ſubtumida, quandoque exulcerata conſpicitur; cornea interdum opaca redditur (*p*).

Oſſium affectiones.

Oſſa ipſa in hoc affectu adeo non immunia evadunt, ut varia et ſaeviſſima mala crebro patiantur. Si adſit in eorum vicinio ulcus quodvis ſcrofuloſum, cito corrumpuntur; ſaepe etiam

(*n*) Fallon. p. 40.
(*o*) Id. ibid.
(*p*) Wharton adenograph. c. 40. Sauvages. tom. cit. p. 8.

vitium eorum ſubſtantiam primario aggreditur.
Spongioſae et laxae texturae oſſa qualia ſunt oſ-
ſium longorum extrema, quae ipſa in junioribus
animalibus ſunt diſtincta oſſa, epiphyſium nomi-
ne cognita, carpi etiam et tarſi, metacarpi, meta-
tarſi oſſa, digitorum internodia, ex cauſa ſcro-
fuloſa praecipue laborare deprehenduntur; ar-
ticuli igitur frequentiſſime afficiuntur: oſſa iſt-
haec in exoſtoſes, ſeu potius hyperoſtoſes (*q*) ex-
tumeſcunt ſaepiſſime.

Scroſuloſis oſſium vitium non raro accidit,
quod gangraenae partium mollium aequiparan-
dum putat cl. MONROUS P. Aperto apoſtemate,
ait, ad ejus fundum conſpiciendum eſt frequen-
ter, os album, laeve, membrana circumveſtiente
denudatum, neque finitimis partibus, niſi liga-
mentorum, extremis ipſius affixorum ope, con-
nexum. Color ſenſim immutatur, totumque os
exire neceſſe eſt antequam ſaneſcat ulcus; ap-
paret exinde circulationem vitalem in eo ante
apertum abſceſſum deſiiſſe (*r*)

Graviſſima illa oſſium caries, quae *ſpina ven-* Spina
toſa audit, huic morbo peculiaris eſt; ſaltem niſi ventoſa.
in hac affectione, ſibi nunquam viſam fuiſſe, af-
firmat, in hiſce rebus experientiſſimus WISEMAN-
NUS. Vitium iſtud, ad mentem Arabum, qui
nomen primum indiderunt, in ipſo oſſe incipit;

(*q*) Aſtruc de morbis venereis. Pariſ. 1740. p. 414.
(*r*) Medical Eſſays. vol. 5. art. 24.

ſpongioſa oſſa ſupra memorata, interdum etiam cranii oſſa eodem infeſtantur. Haec in tumores ſeu hyperoſtoſes elevantur; eorum interiora autem corrumpuntur, fibrae oſſeae diſſolvuntur; corticem tandem exteriorem aggreditur materia acris, atque eroſo foramine, viam ſibi foras efficit. Tegumenta interim in tumorem laxum, mollem, ſpongioſum, doloris expertem, ſaltem ante exulcerationem (*ſ*), attolluntur; "tumor hicce in-" dies increſcit, et tandem ſpecies fluctuationis " vel potius diffuſionis, cute ſimul rubente, ſen-" titur; apertura facta, ex oſſe materia ſero lactis " haud abſimilis, mitis, grumis commixta quae " coagulo lactis ſimiles e tegumentis evenire vi-" dentur, prodit perpetuo. Nihil praeter carnem " fungoſam mollem in oſſe conſpicitur, nullo foe-" tore interim emanante. Licet foramine parvo " tantum, in initio aperiatur ſpina ventoſa, ta-" men tandem in ulcus latum ſpinis oſſeis excreſ-" centibus quaſi circumſcriptum evadit. In hoc " malo oſſis exfoliatio fruſtra expectatur (*t*)."

Saepe etiam exterius tumores ſpongioſi iſtis qui ventoſam ſpinam comitantur haud diſſimiles, intacto adhuc oſſe, circa juncturas oriuntur, eaſque longe occupant, non raro in abſceſſus abeunt, oſſa ſubpoſita corrumpunt (*u*); in cubito frequen-

(*ſ*) M. A. Severinus de recondita abſceſſuum natura. lib. 5. de Paedarthrocace, cap. 17.

(*t*) Fallon. p. 42. ex praelection. ill. MONRO Patris.

(*u*) Wiſeman, p. 261.

tiores quam alibi contingunt (*x*). Ex hisce causis articulos movendi difficultas, vel etiam vera anchylosis, nimis saepe proveniunt.

Scrofulam pro causa osteosarcosis, sive ossis ad carneam usque consistentiam emollitionis, agnoscit vir gravissimus JOHANNES ASTRUC (*y*), etsi rarius quam veneream luem. Casum ubi affectus hicce rarissimus ex ista causa certissime defluxit, nondum reperi.

Scrofulosi in hydropem saepe incidunt, vel phthisin pulmonalem, alvi profluviis aliisque malis vexantur, quorum rationem posthac reddere conabimur.

Haec tandem sunt phaenomena praecipua quibus stipata dira *scrofula* incedit, quae tamen in omni aegrotante non semper conjuncta reperiuntur, sed nunc plura nunc pauciora, raro omnia simul consociata, occurrunt.

Aetati puerili accidit scrofula praecipue, sed provectiori, teste HIPPOCRATE. Enumeratis enim, quae infantibus, dum dentes nascuntur, adveniunt, affectionibus, subsequente aphorismo (*z*), inter morbos, qui his provectioribus occurrunt, strumas recenset. Tempus autem totum, quo dentes primi infantibus erumpunt, a mense sep- Aetas.

(*x*) Monente cl. Culleno, apud Fallon. p. 40.
(*y*) De morbis vener. p. 437.
(*z*) Πρεσβυτέροισι δὲ γενομένοισι παρίσθμια——χοιράδες καὶ τἄλλα φύματα. Aph. 26. Sect. 3.

timo, ad alterum aetatis annum, aut circiter, extenditur (*a*); et ſane ante exactum ſpatium hoc rariſſime apparet morbus. Cl. CULLENUS quidem infantem vix trimeſtrem ſtrumis laborantem vidit (*b*), et PLATERUS tradit, alterum quinque menſes natum, ſtruma ſuffocatum periiſſe (*c*), ſed haec inter rariora reponenda. Circa ſecundum aetatis annum ipſe morbum notavi, ſed frequentius non infra quartum vel quintum erumpit, et ſaepe verſus ſeptimum aut octavum (*d*), exinde ad pubertatem uſque ſatis frequens eſt ejus progerminatio. Remediis quoque rebellis ſaepiſſime, aduſque aetatem puberem in maribus, vel purgationis menſtruae in puellis eruptionem, durat; tunc, cum aliis miris mutationibus, naturae beneficio frequenter diſſipantur accidentia hujus morbi (*e*). Contra, in ſexu ſequiori, menſibus non rite prodeuntibus, circa hanc aetatem ſtrumae haud raro proſiliunt (*f*), menſtruorum quoque obſtructionem ſaepe comitantur (*g*). Exinde ratio reddenda obſervationis J. L. PETIT, chirurgi Pariſini, qui, foeminis quae

(*a*) Hollerius in l. c. (*b*) Apud Fallon, p. 8.

(*c*) Obſ. p. 184. Si vera ſtruma fuit.

(*d*) Faure, Prix de l'Acad. de Chirurg. T. 6. p. 52.

(*e*) Hoc ſaepe ante vigeſimum annum non evenire obſervat Faure l. c. Sed pubertatis finis extendi ſolet uſque ad annum vigeſimum aut circiter. Holler. in Aph. Hip. 45. ſect. 2.

(*f*) Bordeu, Prix de l'Acad. de Chir. T. 6. p. 206.

(*g*) Cullen l. c. p. 44.

in tenera aetate ſtrumis laboraverant et ex his convaluerant, eaſdem in prima graviditate reſurgere ſe vidiſſe affirmat; iſte tamen homo, more ſuo, aliquid a maritis communicati, venereae ſcilicet indolis, ſuſpicatus eſt (*h*).

In adultis longe minus frequenter conſpicitur affectus hicce, et quo provectiores aetate eo minus huic obnoxii ſunt, ut ſenes rariſſime, et fere nunquam, ex hac cauſa laborent, docente etiam HIPPOCRATE (*i*). Poſt pubertatem utique non raro perſtat morbus, ubi jam ante hanc aetatem eruperit, ſed in adulta aetate rariſſime homines affligere incipit. Circa vigeſimum quartum annum, ipſe ſtrumas progerminare in homine non antea iis tentato notavi. R. WISEMAN caſus proponit aduſque trigeſimum ſextum annum et unum etiam, quadraginta annorum, ſed quo magis aetate provecti eo pauciores hoc vitio tentati deprehenduntur. Obſervationem habet RUSSELLUS viri cujuſdam 44 annorum cui u-

(*h*) Traité des Maladies des Os T. 2. p. 398. Paris 1758.

(*i*) Περὶ δὲ ἡλικιῶν, φύματα μὲν ἔμπυα γίνεται, καὶ τὰ χοιρώδεα ταῦτα πλεῖστα τῶν παιδίων ἴσχουσι, καὶ ῥᾷστα ἐξ αὐτέων ἀπαλλάσσει. τοῖσι δὲ γεραιτέροισι τε τῶν παιδίων, καὶ νεηνίσκοισι, φύεται μὲν ἐλάσσω, χαλεπώτερον δὲ, ἐξ αὐτέων ἀπαλλασσοῦσι, τοῖσι δὲ ἀνδράσι, τὰ μὲν τοιαῦτά φύματα, οὐ κάρτα ἐπιγίνεται——τοῖσι δὲ γέρουσι τῶν μὲν τοιούτων τρόπων φυμάτων οὐδὲν ἐπιγίνεται. Προῤῥητικῶν lib. 2. p. 95. ed. Foeſii, 1657.

traque genua et carpum tumores ſcrofuloſi occupabant (*k*). Quinquagenarium quendam ſtrumas in collo largiores, ſupra viginti annos geſtaſſe refert cl. BORDEU (*l*) medicus Pariſienſis. Caſus etiam reperitur viri 63 annos nati cui ſtruma in collo propullulavit, ſi revera ſtruma fuit, quae ſtatim in cancrum degeneravit, et miſerrimum letho praecipitavit. Teſtatur J. FALLON ſe curaſſe ſeptuagenariam quandam quae duos tantum antea annos ſtruma laborare coeperat; caſum etiam ex HILDANO (*m*) citat, viri 70 aetatis annum praetergreſſi, eodem vitio a juventute affecti; videtur tamen non ſtruma fuiſſe ſed bronchocele.

Exemplum tradit cl. REIMARUS (*n*) viri 24 annos nati, ſpina ventoſa correpti. Ad 25 annum circiter P. de MARCHETTIS (*o*) obſervavit tum viros tum foeminas huic morbo obnoxios, non vero provectiori aetate, niſi antea eodem tentati et nondum convaluiſſent.

Quales huic morbo magis obnoxii.

Pueri imbecilles, habitus infirmi laxique, molliter nimis educati, rachitide affecti (*p*), huic morbo maxime obnoxii obſervantur. LOMMIO auc-

(*k*) L. c. Hiſt. 34.
(*l*) Prix de l'Acad. de Chir. tom. 6. pag. 195.
(*m*) Cent. 3. obſ. 34. Ad latus aſperae arteriae appendebat, ovi ſtruthii magnitudinem fere adaequans.
(*n*) Diſſert. de fungo articulorum, § 62.
(*o*) Ad calcem ſylloges obſ. med. chir.
(*p*) Wiſeman, p. 249. Ruſſell, p. 17.

tore, " ſtrumae accidunt maxime pueris, praeci-" pue ſi his preſſa tempora et largae maxillae" qualia ſaepe in rachiticis notantur (π). Inſolitam cutis faciei glabritiem et tenuitatem habitum ſtrumoſum indicare monuit cl. CULLENUS (*q*). Scrofuloſis quoque, capillos albidos, ſubflavos, rufeſcentes, contingere vulgo notatur.

Praecipue tamen hoc morbo tentantur parentibus ſcrofuloſis exorti, ut exinde morbus haereditarius vel congenitus habeatur. Quorum etiam parentes venerea lue laborarunt, et male curati fuerunt, hoc vitio ſaepiſſime infeſtari, affirmant multi (*r*). Infantes, qui gravidarum ubera exſugunt, in ſcrofulam ſaepe incidere aſſerit ANTONIUS DEIDIER (*ſ*); at penes auctorem fides ſit.

In hoc vitio afflictis, notarunt quidam ingenii acumen majus, et vim intellectus praematuram; vix tamen crediderim, illos aliis hominibus animi dotibus praecellere. Eos inſigniter ſalaces eſſe affirmat BORDEU; idem vulgo, ſed fortaſſe non ſatis accurate, obſervatum audio.

(π) Cullen apud Fallon p. 15. Cum, exiſtente magna capitis prominentia poſtica, deeſt antica, cum compreſſis tempore lateribus, ac ſincipite——Adhaec eſt debilitas capitis nativa, his praeſertim pueris, quibus diu manſerunt inconſutae ſuturae, et incommiſſae commiſſurae, Severinus de Paedanchone, partic. 3.

(*q*) Loc. cit.

(*r*) Aſtruc de morbis venereis p. 444. Sauvages l. c.

(*ſ*) Traité des tumeurs Pariſ. 1735. chap. 7.

Anni tempestas.

Inter affectus qui vere accidunt, HIPPOCRATES tubercula, φύματα, recenset (*t*), ex horum numero autem strumas esse statuit, ut ex antehac citatis patet: istas autem vere praecipue apparere testatur experientia cl. CULLENI (*u*).

Utriusque sexus et omnis conditionis homines, in hac saltem regione, quantum mihi observare licuit, huic affectioni aequali fere ratione obnoxii esse videntur.

Morbi vetustas.

Antiquitatem hujus morbi agnoscunt omnes; ab ipso HIPPOCRATE, medicisque qui hunc secuti sunt Graecis, Latinis, Arabibus, memoratus et depictus reperitur, ut non restet dubitandi locus; exinde etiam patet, regionibus ubi hi viri medicinam fecerint, satis cognitum fuisse.

Regiones.

Sic etiam hodie per Europam universam non infrequentem esse, ex medicorum, qui in omnibus fere ejus partibus artem exercuerunt, scriptis, facile eruitur. In Hispania (*x*), hoc malum dicitur endemium esse, ut et in nonnullis Italiae (*y*) et Germaniae (*z*) partibus, in Stiria, Carinthia et regionibus Alpinis. Qui ad flumen Kirenga habitant in Sibiria, GMELINO teste, strumis majoribus ornati incedunt; et in ipsis

(*t*) Τȣ μὲν γὰρ ἤρος τὰ μανικὰ——καὶ ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσαι καὶ φύματα.

(*u*) Apud Fallon, l. c.

(*x*) Riverius Inst. lib. 2. sect. 1. cap. 6.

(*y*) Poterius obs. et cur. cent. 2. obs. 28.

(*z*) Hoffman. not. in Poter. l. c.

pecoribus, ait, easdem haud raro observare licet (*a*). Mihi nuper perquirenti, retulit clariss. ALEXANDER RUSSELL scrofulam in Syria minime raram esse; putat tamen hunc morbum, et speciatim spinam ventosam, vix adeo frequenter ac in Anglia occurrere, etsi et hanc et reliqua omnia symptomata ibidem crebro observavit. Aegyptios strumas optime secare tradit PROSPER ALPINUS (*b*), unde eos hoc vitio non immunes esse videmus. Nec in America Septentrionali incognitum est, ut ex ingeniosi BOND experimentis Philadelphiae institutis innotescit (*c*). In insula Jamaica quoque, idem malum curavit H. SLOANE (*d*). De regionibus magis dissitis, nil compertum habeo, ex allatis tamen, hunc affectum per orbem universum grassari suspicandi locus est.

Causa hujus affectionis nil magis obscurum est. Mihi quidem a veritate minime alienum videtur, pro causa proxima, cum multis auctoribus, lymphae viscididatem et spissitudinem agnoscere, qua minuta glandularum, aliarumque partium vascula, infarciuntur et obstruuntur. Causa proxima.

Huic fluidorum vitio originem praebere vulgo creduntur victus pravus ex alimentis viscidis, Causae remotae.

(*a*) Comment. Lips. T. 2. p. 103.
(*b*) De Medicina Aegyptiorum, lib. 3. cap. 14.
(*c*) Medical Observations. Lond. vol. 2. art. 20.
(*d*) Natural History of Jamaica. vol. 1. Introd. p. 151.

craffis, haud facile digerendis, aquarum quae potantur impuritas, aër humidus in locis paludofis, immundities in veftitu, et id genus alia, magis fortaffe quia fatis idonea putantur, quae tales praeftent effectus, quam quod ita experientia compertum fuit. Equidem dubito (*e*) an haec omnia fola et per fe morbum inducant, utcunque affirmet P. Dionis (*f*), tres quadrantes eorum, qui ad regem fuum confluebant, fanitatem ex tactu ipfius recuperandi gratia, rufticorum liberos fuiffe, qui leguminibus, fructibus crudis, et aliis haud facile concoquendis, vefcendo, vitam colunt; nam pauperculi et infimae fortis mortales, quos fortaffe fub nomine rufticorum confociat, non folum plures funt ubique, fed etiam fuperftitioni longe magis dediti, nil mirum igitur, fi numero majore ad talia confugiant auxilia. In hac regione, quantum video, non magis infeftantur ruftici et pauperes, qui pulte avenacea, et pane ex eadem materia confecto, nec faepius fermentato, vitam fuftentant, quam urbani et divitiores, qui diaeta multo lautiore fruuntur. Minime tamen negaverim, caufas recenfitas, fi difpofitioni fcrofulofae accedant, morbum longe graviorem reddere, vel ubi latebat, in confpectum ducere poffe.

(*e*) Cum F. Platero, prax. med. tom. 3. p. 214. 221. ed. Bafil. 1656.

(*f*) Cours de Chirurgie, demonft. 7.

Seminium quoddam proprium, humores inficiens, incusant etiam plurimi, quod virus scrofulosum nuncupant, et per traducem propagari dicunt, idque variis modis. 1. Per generationem; certe, si alius quispiam, hicce morbus haereditarius vocari meretur; eos enim praecipue prehendit, quorum parentes simili labe infecti fuerunt, ut omnes agnoscunt (*g*). 2. Per lactationem, malum ex nutricibus ad infantes transire credunt; et haec propagatio rationi non incongrua videtur: virus venereum cum lacte nimis saepe communicari satis cognitum est, sed etiam cancri virulentia eodem modo propagata fuit (*h*), cur non igitur scrofula? Experimenta quidem non habeo, quibus certe confidam; tales utique apud vulgus decantantur observationes, sed vulgi experimenta, in rebus medicis, semper floccifacienda censeo. 3. Aliis modis etiam contagiosum esse plane affirmant nonnulli (*i*); virum quendam et duas foeminas labem isthanc a conjugibus accepisse refert BORDEU (*k*); in casu quoque, quem antehac ex cel. ALSTON citavi-

(*g*) A parentum semine proficisci vel hoc demonstrat, quod in certis regionibus ubi hoc malum urget, matrimonia nunquam fere contrahantur, nisi prius probe constet, neutram partem huic vitio obnoxiam fuisse. Platerus, prax. med. l. c.

(*h*) G. F. Hildanus, obs. chir. cent. 2. obs. 78.

(*i*) Leseq apud Riverium obs. com. p. 122. Lugd, 1672. Astruc traité des tumeurs. T. 2. p. 101.

(*k*) L. c. p. 132.

mus, videbatur aegra mariti contagio contaminari; plura tamen experimenta desiderantur. Difficile admodum videtur contagium, si unquam locum habet; nam inter complures infantes, ab eodem patre ortos, eodem alimento enutritos, et in eodem loco educatos, aliquos hoc malo infectos, alios bene valentes, non raro conspicimus.

Experimenta in rebus hisce difficillima videntur, malum enim pueros, utroque parente sano exortos, nonnunquam aggreditur, parentes autem si affectu simili vel ipsi, vel cognati sui laboraverint, tanquam indecorum aliquid, sedulo occultant, occasionem etiam quamcunque familiam suam exculpandi avide arripiunt.

Auctores alii, morbum hunc nec contagiosum esse, nec ab ullo humorum vitio pendere, opinantur; sed potius a solidarum partium debilitate et laxitate, unde ipsae congestionibus minus resistunt, vel fluida non rite praeparantur, deducunt. Et quia parentes saepissime prolem corporis temperie sibi similem generant, hinc, aiunt, in sobole glandulae iisdem fluxionibus opportunae sunt (*l*). Labes nefaria utique, in prima corporis constitutione, radices alte infixas habere videtur, ejus autem naturam, in tanta obscuritate, definire non aggredimur.

Symptomatum quorum-

Lympha viscida, inspissata, nullibi facilius quam in glandulis conglobatis stagnare debet,

(*l*) Russell de tabe gland. p. 210.

ubi vaſa lymphatica in plures ramulos diffinduntur, quorum lumen auctum ſi cum trunco comparaveris, et frictio major in eorum parietes, humorum motum tardiorem neceſſario efficiunt.

dam ratio.

Cur quaedam glandulae ſaepius obſtruuntur.

Glandulae colli frigori externo expoſitae, quo conſtricta vaſcula fluidorum motui minus facile cedunt, praecipue afficiuntur. Concurrere etiam poſſunt affectiones capitis infantibus familiares, unde materiam acrem, lymphaticis reſorptam, cervicis glandulas infarcire ſaepe videmus. Neque mirandum, meſenterium adeo frequenter laborare, poſita enim generali ad obſtructionem diſpoſitione, chylum crudum glandulas minus facile permeare, et in his igitur citius conſiſtere debere, quam lympham reiterato jam circuitu ſubactam, clare perſpicitur.

Ut humores denique in hac vel illa glandula conſiſtant occaſioni ſint, contuſio, compreſſio rudior et injuriae ſimiles extrinſecus illatae; idem de materia acri, ſanioſa, purulenta ex ulcere quovis reſorpta, perque lymphaticas venas in glandulas, quas ſalutare debent delata, dicendum.

Strumae indolentia,

Quum lentiſſima et maxime tardigrada ſit in tumoribus hiſce congeſtio, facile intelligitur, quare parum vel nihil omnino dolent, neque dum ſine inflammatione reſtant, vel calor vel coloris mutatio accedunt. Humor tandem reſtagnans, vel copia auctus, vel mora acrior eva-

inflammatio.

dens, vaſa continentia diſtendit nimium, irritat, inflammationem excitat, et ſuppuratio inſequitur; hoc tamen ſaepiſſime non niſi injuriis externis, pravorum applicatorum uſui, vel reſolventibus nimis acribus et ſtimulantibus interius aſſumptis debetur (*m*).

Degluti-tio impe-dita, &c.

Glandulae tumefactae varia inducere poſſunt accidentia, graviſſima nonnunquam, mole ſua vicinas partes comprimendo, functiones diverſimode impediendo. Sic in collo, arteriam aſperam et oeſophagum premendo, reſpirandi et deglutiendi difficultatem induxerunt, imo ex his nonnulli ſuffocati perierunt (*n*). Inteſtinorum etiam tubum coarctando, alvum pigriorem reddunt, vel, eo penitus recluſo, paſſio iliaca notha oboritur, et aeger non penitus nunquam fato ſuccumbere cogitur (*o*).

Hemiple-gia et a-mauroſis.

Ex nervorum compreſſione a ſtrumis hemiplegia conſpecta fuit (*p*). Amauroſin in puerulis ſcrofuloſis ſubito ingruentem bis vidit SAUVAGESIUS; ſecto cadavere, glandulam ſtrumoſam

(*m*) Aſtruc traité des tumeurs, Tom. 2. pag. 103.

(*n*) Plater. prax. med. T. 3. p. 205. et in obſ. p. 185. 697. Bonet. Sepulchret. T. 3. p. 263.

(*o*) Fernel. pathol. l. 6. c. 7. Ruſſell, p. 40. 106. Sepulch. T. 2. p. 204. Icterus a ductu communi choledocho, glandulis tumefactis colliſo. Sepulch. p. 343. Fatendum tamen in hiſce caſibus alia non memorari ſtrumarum ſigna.

(*p*) De Haen ratio medendi cap. 28. obſ. 16.

nervis opticis incumbentem invenit (*q*). Haec tamen rariora ſunt.

In hac affectione non admodum raro inducitur hydrops (*r*), ex vaſorum revehentium coarctatione; aſcites praecipue, a glandulis meſenterii tumefactis originem ducit: hae enim non ſolum ramificationibus venae portarum interſperguntur, ſed etiam ipſius truncum ambeunt, et anteriores, et poſteriores, ipſique venae cavae ſub hepate incumbunt (*s*). Venarum igitur lumine anguſtato, humorum reditui impedimentum ſubnaſcitur, eorumque pars tenuior, per arterias exhalantes, copia majore exprimitur; denique, obſtructis glandulis, quae vaſa lymphatica tranſmittunt, fluida reſorpta revenire nequeunt, augeri ergo et accumulari perpetuo neceſſe eſt. Hydrops.

Ab iiſdem in meſenterio obſtructionibus fluxus alvi coeliacus et lientericus nonnunquam oboritur. Chylus enim nec a lacteis nec a venis ſanguiferis, ſi etiam hae communi abſorptionis officio conveniunt, hauritur; humorum quoque major vis ob eandem cauſam in cavum inteſtinorum depluit, quae omnia per alvum neceſſa- Fluxus coeliacus.

(*q*) Noſol. meth. T. 2. part. 2. pag. 291.

(*r*) Aquarum collectio in abdomine, thorace, pericardio, cranii cavo, Sepulchret. T. 3. p. 265. In abdomine et thorace, Med. Septent. p. 343.

(*s*) Haller El. Phyſiol. T. 1. p. 190.

rio rejiciuntur (*t*). Exinde atrophia infantum, et tabes mesenterica quae dicitur vulgo deducuntur.

Noxae ex strumis suppuratis.

Strumae demum suppuratae alios et gravissimos morbos efficiunt. In exterioribus partibus, ubi tamen longe minus periculosae, ulcera sordida, sinuosa, curatu difficillima, inducunt. Observatu cognitum, suppuratis strumis, alias multo uberius circumcirca progerminare, neque mirum, ecce enim ulcus sordidum, unde acris, purulenta materia, lymphaticis hausta, inque glandulas finitimas deportata, easdem obstruit, in tumores attollit, nec non sanguine permixta humores ulterius inquinat, unde malum perpetuo quasi inseritur (*u*). Ulcera haec cutem et cellulosam telam miserrime depascunt; hinc sanata, cicatrices concavas, profundas, inaequales, striatas, conspicuas maxime, turpissima latentis anguis indicia, relinquunt.

Phthisis pulmonalis.

Sed suppurationes in corporis interioribus, saeviora adhuc, et plerumque immedicabilia,

(*t*) Verum ut haec affectio fiat, oportet omnes venas mesaraicas, aut majorem illarum partem obstrui, quemadmodum contingit in pueris strumosis, quorum mesenterium glandulis innumeris refertum invenitur, a quibus venae mesaraicae praecluduntur: et hi continuo alvi fluxu chyloso et coeliaco laborant, multum comedunt, et indies emaciantur, donec in marasmum incidant. Riverius Prax. Med. lib. 10. cap. 5.

(*u*) Glandula semel suppurata sanguinem inquinat, aliorumque tumorum prima quasi fundamina ponit. Russell, l. c. p. 75.

mala, inferunt. In pulmone frequenter abscedunt strumae, ex agitatione perpetua quam patiuntur, maxima copia sanguinis qui transfunditur, et forte hujus visceris mollitie qua facilius corrumpitur; exinde phthisis pulmonalis, quae scrofulae saepe debet originem suam, etiamsi fortasse nimium huic tribuerunt maximi nominis in arte viri, qui phthisin ex hac causa omnium frequentissimam esse statuunt (*x*).

In mesenterio aliisque partibus suppuratae glandulae tabem similiter inducunt. Exitus enim materiae purulentae conciliari nequit, haec igitur resorpta sanguinis massam inficit, dissolvit, vasa irritat, hecticam accendit, cum tota dirorum symptomatum caterva, unde aegrotantes indies contabescunt, lethoque tandem succumbunt. Cadaver pueri scrofulosi quadriennium abhinc secavi, cujus cervix, pulmones, mesenterium, glandulis infarctis, innumeris pene, scatebant, nonnullis etiam in pulmone suppuratis: pone pharyngem autem, inter eum scilicet et supremas colli vertebras, saccum pure ad cochlearia aliquot repletum inveni.

Circa pubertatem, vel in sexu sequiori purgationis menstruae eruptionem, saepius dissipari hujus morbi accidentia, omnibus notum; quod cum aliis sat miris phaenomenis tunc temporis

(*x*) Morton, phthisiol. lib. 3. cap. 1. Mead, mon. et praec. med. cap. 15. Sauvages, l. c.

inductis, vel depurationi cuidam humorum evacuatione ista perfectae tribuitur, vel aucto cordis et arteriarum robori, ex resorptis, uti videtur, fluidis seminalibus, quae tunc secerni incipiunt, et in sanguinem reportata, universo nervorum systemati stimulum inferunt.

In hac affectione, ut in multis aliis, plurima contingunt quorum rationem reddere nemo hactenus valet; mihi quidem, conjecturas vanas, et nullius ponderis, congerere, non arridet, sed ignorantiam profiteri satius videtur; ad alia igitur transimus.

Diagnosis. Strumae, si exteriores partes occupent, visui et tactui patent, characteribus antehac notatis cognoscuntur, earum quoque conditio ex iisdem comprehenditur, an integrae seu suppuratae, scirrhosae seu cancrosae, vel alio quovis modo affectae sint: si autem interioribus reconditae lateant, difficilius cognitio earum eruitur. In mesenterio tamen, ex tensione et renitentia in medio ventre, gravitatis sensu in eadem regione, latere judicantur (*y*). Imo nonnunquam, si tumores magis excreverint, aegerque macilentior sit, hic, illic, in abdomine, tanquam nodi duri seu tubercula tangendo reperiuntur (*a*). Ex ma-

(*y*) Fernelius, Pathol. lib. 6. c. 7. River. Prax. lib. 13. c. 1.

(*a*) Platerus, Obs. p. 697. Russell de Tabe gland. p. 186.

lis etiam, quae ex horum praeſentia oriri diximus, eas ſuſpicari poſſumus. Si denique foras erumpant accidentia ſcrofuloſa, haec omnia certiora fiunt.

Diſtinctio a ſcirrho,

Strumae diſtinguuntur facile a ſcirrho exquiſito, cui ſumma durities et renitentia; a cancro etiam, inaequali ſcabritie, calore, dolore ſaeviſſimo, caeteriſque carcinomatis indiciis ſemoventur.

A bronchocele,

Bronchocele ab hoc affectu diſcernitur, ſede in thyreoidea glandula, perpetuo quoque augetur, ut in immenſam molem excreſcat aliquando, et toto vitae tempore geſtatur (*b*), neque pueris quam adultis magis convenit. Confunduntur paſſim haec vitia ab auctoribus, etiamque recentiſſimis; at ſunt, ni fallor, omnino diverſa. In hac regione, ubi ſcrofula nequaquam infrequens eſt, bronchocele rarius conſpicitur, et in omnibus hujus caſibus, quos mihi obſervare contigit, nullum apparebat ſcrofulae indicium.

Neque cum ſteatomatis aliiſve tumoribus tunicatis confunduntur ſtrumae; illa enim in celluloſa tela ſedem obtinent, ſtrumis duritie cedunt, in aliis quae ſupra notavimus, cum bronchocele conveniunt.

A bubone,

Bubo ſimplex, ſub cujus nomine tumorem inflammatorium glandulae conglobatae in quacunque parte comprehendo, a ſtruma, progreſſu celeri ſemovetur. Bubo enim cito et fluxionis via at-

(*b*) Fab. ab Aquapend. de chirurg. operat. cap. 42,

tollitur; dolor, calor, inflammationis ſigna comitantur; celerrime quoque per reſolutionem vel per abſceſſum terminatur; bene quoque et perfecte ſuppurat, effuſaque materia proba paucis diebus ſanatur: omnia his oppoſita in ſtrumis (*c*). Bubo denique unius glandulae tantum affectus eſt ut plurimum, ſtrumis plures occupantur. In bubone peſtilentiali et febrium malignarum, ex concomitantium morborum ſignis, nemo fallitur.

A glandularum tumoribus ex reſorpta ſanie,

Sed glandulae conglobatae ſaepe infarciuntur, ſi adſint in quavis parte ulcera quaecunque, mali moris praecipue, ſordida, ſinuoſa, ex materia acri, ſanioſa lymphaticis abſorpta, et in glandulas delata. Huc referendus venereus bubo, *primitivus* ſaltem qui nuncupatur, pudendorum carie plerumque exortus. Quam familiares ſunt tumores iſti in axillis carcinomate mammarum laborantium nemini ignotum; idem in aliis locis contingit. Anno proxime elapſo in foemina, cui tumor cancroſus linguae apicem infeſtans excidebatur, in noſocomio Pariſienſi *hôtel-dieu*, glandulas ſub maxilla inferiori valde tumefactas notavi, ut primo intuitu ſtrumas quam proxime referrent.

Ex dentibus carie corruptis tales glandularum infarctiones nonnunquam ſub maxilla inferiori oriri obſervantur.

Infantibus glandularum in collo intumeſcen-

(*c*) Aſtruc, traité des tumeurs.

tia ex tinea, crusta lactea, aliisque capitis affectionibus contingit quotidie: an scrofula *fugax* Sauvagesii? His referenda videtur scrofula illa *Americana* Russelli (*d*), quam inter species hujus affectus recenset Sauvages; sane ista scrofula non fuisse videtur, sed alius morbus (*e*), glandularum vero tumores in collo, ex fungosis excrescentiis in capite, ortum duxisse, verosimile apparet.

Tumores ex causis enumeratis a strumis dignoscuntur, perspecto probe vasorum lymphaticorum absorbente munere et eorum per glandulas transitu. 1. Fons enim et origo obstructionum ex ulceribus oculis patet. 2. Afficiuntur tantum glandulae fontibus istis, et ductui thoracico, vel venis subclaviis interjectae. 3. Desunt alia scrofulae indicia. Hi tamen tumores si in habitu scrofuloso incidant, in strumas degenerare possunt.

Inter veneream luem et scrofulam analogia maxima conspicitur. In lue interdum infarciuntur glandulae conglobatae, ut strumas quam perfectissime referant (*f*): uterque morbus ulcera prava inducit; sensus organa infestat, ossium substantiam corrumpit. Venereum quoque virus, A lue venerea,

(*d*) De tabe glandulari hist. 39.

(*e*) *The yaws* scilicet, fatente ipso Russello, p. 214.

(*f*) Astruc de morbis venereis p. 420. Hispanis praecipue, quibus scrofula endemia, luem veneream sub ista forma contingere quidam auctores affirmant.

ſcrofulae ſuperadditum, ſymptomata huic admodum ſimilia edit, vitia ſcrofuloſa poſtquam curata fuerint renovat (*g*). Lues venerea denique, ſi fides nonnullis, remediis male curata, in ſcrofulam degenerat, ſaltem in aegrotantium ſobole ſub forma iſta apparet.

Dignoſcuntur hi affectus ex concurrentia aliorum ſymptomatum, et commemoratione praetergreſſorum, quibus apparebit aegrotantem vel ſcrofulae obnoxium fuiſſe, vel in veneris charybdim aliquando incidiſſe. Signum quoque diagnoſticum ab aetate aegrotantis deſumitur; ſcrofula enim infantibus peculiaris fere, ſaltem tenera aetate incipit, lues venerea autem coitu impuro plerumque exoritur, idcirco hominibus adultis et certamini venereo paribus convenit. Huic tamen non nimis fidendum eſt, ſicuti a nonnullis (*h*) fieri videmus, quaſi in adultis nunquam progerminaverit ſcrofula, quod experientiae repugnat.

Quoad oſſium affectiones, in lue venerea exoſtoſis in oſſium partibus duriſſimis, ſolidis maxime, longorum ſcilicet mediis, necnon in cranio magis frequens eſt; hyperoſtoſis rarius conſpicitur, quae tubulatorum extrema, aliaque oſſa ſpongioſa, rarioris texturae, in ſcrofuloſis graviter infeſ-

(*g*) Obſervatio proſtat apud Petit. l. c.

(*h*) J. L. Petit. l. c. Fabre, traité des mal. vener. T. 1. p. 343. 347. Pariſ. 1765.

tat. Hyperoſtoſes etiam ſcrofuloſae non dolent, vel obtuſe tantum dolent, venereae autem dolores acerrimos plerumque patiuntur (*i*). De exoſtoſi quae ab utroque morbo conjuncto procedit, obſervat PETIT, eam facilius abſcedere et cariem quae exinde provenit multo magis moleſtam reperiri, quod etiam de exoſtoſi ſimpliciter ſcrofuloſa, ni fallor, dicendum eſt.

Fungus articulorum, *the white ſwelling*, magis dolet, nec ſcrofuloſos ſaepius quam alios homines corripit, genu frequentius occupat, cum ſpina ventoſa et ſcrofuloſi tumores in cubito et aliis articulis magis contingant (*k*). A fungo articulorum.

Ubi denique ſigna incertiora ſunt, cognitus familiae habitus, in morbum iſtum diſpoſitus, in diſtinctione facienda maxime adjuvat.

Vir meritiſſimus De SAUVAGES octo ſpecies *ſcrofulae* enumerat; noſtram *vulgarem* denominat, *fugacem* et *Americanam* antehac memoravimus. Altera eſt *meſenterica*, a *vulgari* diverſa ratione aetatis minoris, glandulis non in collo ſed in meſenterio tumidis, faciei pallore, cum in *vulgari* facies ſaepius colorata, turgidula ſit. Reliquae quas recenſet ſpecies, vel ſunt brutorum morbi, vel *ſcrofulae* adeo parum ſimiles, ut eodem nomine generico notari minime mereantur.

(*i*) Aſtruc de morb. ven. loc. cit.
(*k*) Reimarus, l. c. Fallon in diagnoſi.

Prognosis.

Hujus morbi praesagium incertum admodum et dubium est, pro accidentium numero, varietate, gravitate, duratione, variandum; in genere tamen affectus hicce pertinax, diuturnus, curatu difficillimus, recidivae obnoxius censendus est. Medicamentis vel naturae beneficio dissipantur quandoque symptomata, aegrique sanitatem et robur obtinent; renascuntur tamen non raro, saltem in prole infelici se ostendere solet malum, vix ergo radicitus extirpari potest.

Si ante pubertatem erumpant scrofulae symptomata, tunc sperandum est ea circa hanc aetatem fugatum iri: in adultis autem jam decidit ista spes, et morbus curatu longe difficilior reperitur (*l*); gravitas enim causae indicatur, quae restiterit habitus mutationi tunc temporis inductae, quae sane pluris est ad medelam, ut saepius vidimus, quam tota medicamentorum farrago.

Si inter pubertatem et annum aetatis 25 malis istis non liberentur aegri, raro postea ab his immunes fiunt, teste RUSSELLO, (*m*): eodem quoque auctore, si non curatae fuerint in foeminis obstructae glandulae ante quadragesimum

(*l*) *Ὅσα δ' ἂν διαμείνῃ τοῖσι παιδίοισι, καὶ μὴ ἀπολυθῇ περὶ τὸ ἡβάσκειν, ἢ ἐν τῇσι θήλεσι περὶ τὰς τῶν καταμηνίων ῥήξιας, χρονίζειν εἴωθεν.* Hip. Aph. 28. sect. 3.

(*m*) Oeconomy of nature in diseases of the glands, p. 97.

quintum annum aut circiter, tunc ceſſante menſtruorum fluxione plerumque recrudeſcit (*n*) morbus. Quibus etiam poſt quadrageſimum annum eruperint ſtrumae, ſanitatem rariſſime recuperant, graviſſimis enim obſtructionibus ut plurimum laborant, ex obſervatione WISEMANNI (*o*).

Strumae externae nec inflammatae, nec exulceratae omnium mitiſſimae, ſine magno incommodo diutius tolerantur, remediis minus difficulter cedunt; hae tamen ſi matureſcant, magis fatigant, ulcera prava, ſerpentia inducunt, ut aegri ex diuturna ſuppuratione, et fluidorum nutrientium jactura ſaepe marceſcant. Ulcera haec quoque, poſt multum tempus conſolidata, cicatrices foedas, collum deturpantes maxime relinquunt. Sed ſtrumae internae longe magis periculoſae ſunt, ſi in ſuppurationem verterint praecipue; tunc exigua ſpes ſalutis effulget: exitus enim materiae purulentae conciliari nequit, aegros igitur hectica conſumptos, tabidos, phthiſicos perire neceſſe eſt.

Propoſito noſtro hucuſque perducto, reſtat ut quaedam de curatione adjiciamus. Sane vix alius reperiri poteſt morbus cui plura propoſita fuerunt remedia, ex his multa inepta, multa ſuperſtitioſa, et tantillo quidem fructu, ut hodie

Methodus medendi.

(*n*) De tabe gland. aph. 4.
(*o*) Pag. 254.

ab omnibus fere, malum pro immedicabili habeatur. Horum praecipua, ex quibus aliquid ſucceſſus ſperandum videtur, quam breviſſime percurremus.

Tumorum reſolutio.

Dum tumores integri permanent, nedum inflammati, eorum reſolutio praeſertim indicari videtur. Haec autem intentio perficitur, imprimis, humores inſpiſſatos, aqueorum ope diluendo. Fluida noſtra, ſola aqua diluit; haec igitur in primas vias recepta, lacteis vaſis hauſta, glandularum meſentericarum canaliculos permeat, humores ſpiſſos, ſtagnantes, impactos diluit, ſolvit, ſecum aſportat; in ſanguinis maſſam perventa, ſimillimos effectus ubique edit, obſtructa aperit, particulas infarcientes eluit, expurgat, foras eliminat. Hinc intelliguntur aquarum mineralium vires, tantopere in hunc finem commendatae, et non minima ex parte ipſi menſtruo aquoſo tribuendae. Serum lactis hic apprime convenit.

Diluentia.

Aperientia ſalina.

Tumorum reſolutioni etiam conducunt quaecunque vaſa leniter ſtimulando oſcillationes elaſticas promovent, humores ſtagnantes propellunt; quod praecipue efficiunt ſalium diverſae ſpecies.

Acida vix interius aſſumuntur ad hoc propoſitum; alcalina autem plurimum commendantur, et 1. Sales alcalini fixi e Tartaro vel combuſtis vegetabilibus parati; cineres quercus marinae,

ſub nomine aethiopis vegetabilis, a cl. R. Russell non parum laudati. 2. Ipſi ſales volatiles: inter omnia excellit, ſi fides F. Deckers(*p*), ſalis ammoniaci ſpiritus, interne ut et externe adhibitus, conveniente vehiculo mixtus. Spongia uſta, a tota medicorum turba commendatur, at haec analyſi chemicae ſubjecta alcali volatilis magnam vim emittit (*q*).

Hinc intelliguntur effectus quorundam compoſitorum quae alcalina recipiunt, ut ſaponis Hiſpanici; in remedio cujus maximam partem hicce ſapo conſtituit, ſe ſpecificum contra ſcrofulam inveniſſe credit Faure(*r*). Sal fixum cum ſulphure antimonii in hepar redactum, ex ſecretis empirici Rotrou fuit, nomine *elixirii aurifici* celebratum; ejuſdem etiam *tinctura aurifica* a tinctura ſalis tartari in ſpiritu vini parum differt (*s*).

Hic loci ob affinitatem adjungere liceat abſorbentia terrea vel mitiora, vel ignis vi in calces redacta, corallium, corallina, oſtreorum, ovorum cinis, aqua calcis et ſimilia. Medicamenta apud veteres uſitatiſſima in morbis glandularum e calcibus, ſalibuſque lixivialibus conficiebantur, notante eruditiſſimo Russello, ſic hodie eorum

Abſorbentia terrea.

(*p*) In Barbette prax. p. 83. Genev. 1703.
(*q*) Lewis, Experimental hiſtory of the materia medica.
(*r*) Prix de l'ac. de chir. T. 6. p. 69.
(*s*) Aſtruc de morbis venereis. p. 531. Baumé, elemens de pharmacie. p. 741.

usus celebratur plurimum. Humores viscidos, crassos, attenuare putantur, acida in primis viis obtundendo, coctionem adjuvant, unde chylus purior, saniorque sanguini transmittitur.

Sales neutri.

Sales neutri, tartarus vitriolatus, sal catharticus Glauberi et amarus, nitrum, sal gemmae, tartarus solubilis &c. in hisce affectionibus non minimis efferuntur laudibus. Exinde intelliguntur aquarum mineralium, quae salibus scatent, virtutes, aquae marinae praecipue, sale cibario et cathartico amaro refertae, cujus efficaciam, in casibus istis, solidis experimentis stabilivit cl. R. RUSSELL in elegantissimo, toties citato, libello. Viribus catharticis etiam non parum conducit; ab omnibus utique palmam praeripere videtur. E salibus neutris in aqua solutis, tanquam aquae minerales arte praeparari possunt (*t*).

Sulphur.

Sulphur quoque et aquae sulphureae seu thermales admodum proficua interdum reperiuntur.

Mercurialia.

Ex argento vivo praeparata humores animalium insigniter dissolvunt, et hic loci quidem, etsi longe minus certus sit eorum usus quam in curatione luis venereae, non sine bono fructu interdum usurpantur. Ipse litus mercurialis in scrofula fallit saepissime: observationes tamen tradit cl. BORDEU ubi conjuncto usu litus istius et aquarum thermalium, morbus sublatus fuit.

(*t*) Formulas dedit Geoffroy, Tract. de materia med. Tom. I.

Mercurius ſublimatus dulcis, frequentiſſime in uſum advocatur in hoc caſu, et fortaſſe inſtar omnium inſervire poteſt; parca manu et diu continuata exhibetur, interpoſitis catharticis, vel his conſociatur.

Ex antimonio conficiuntur remedia praeſtantiſſima, potentiſſima, quibus omnes fere corporis humani ſecretiones promoventur; horum complura ad hujus mali curationem adhibita fuerunt. Ipſius antimonii pulvis tenuiſſimus, ab ill. SAUVAGESIO poſt GEOFFROY laudatur plurimum, unde tamen vix maximi momenti effectus expectandi videntur. Antimonii illota calx ex arcanis empirici Rotrou, in his affectibus, in Gallia etiamnum celebribus, praecipuum fuit, nomine *pulveris liquantis* deſignatum. Antimonialia.

In uſum etiam revocata fuerunt multa alia remedia quae humores viſcidos attenuare creduntur, millepedae, gummi ammoniacum, galbanum, ſagapenum, decocta vel pulveres ligni guaiaci, ſarſaparillae et ſimilia.

Evacuantia cujuſcumque generis humores a locis affectis derivant, idcirco huic intentioni optime inſerviunt; horum nonnulla mox enumeravimus. Cum diutius diſtentae fuerint glandulae, emetica utiliter adhiberi poſſunt; humores potenter revellunt. Purgantium autem uſus in hiſce vitiis frequentiſſimus eſt et maxime celebris; humorum copiam minuunt, eorum quoque ſti- Evacuantia.

mulus per univerſum nervorum genus diffunditur. Interponenda ſunt caeterorum medicaminum uſui, vel his conſocianda. Veſicatoria, fonticuli, ſetacea quoque utiliter in his morbis adhibentur.

Topica. Suadentur et applicata plurima diſcutientia, attamen ex eorum uſu ſtrumae non raro ſuppurant, quod ſedulo cavendum, et melius his abſtinendum, donec ipſi tumores remediis internis cedere inceperint. Cum fructu tunc apponuntur emplaſtra reſolventia gummoſa, mercurialia, vel etiam unguenta quae mercurium recipiunt. Si ſuppuratae fuerint ſtrumae, et poſtea conſolidatae, relicta tamen ſit aliqua durities, iiſdem applicatis emollitur.

Suffumigia. Commendantur et ſuffumigia varia, ut aceti a GALENO in ſcirrhum laudati; vel in ſilices candentes conjicitur, vel in eo lapis pyrites candens reſtinguitur, fumus autem per infundibulum receptus tumoribus admovetur (*u*). Fumus etiam cinnabaris accenſae ſuadetur; accidentia utique venerea ocyſſime fugat, et hic loci fortaſſe non inutilis foret, ſed ex eo ſalivationis excitandae non leve periculum. Suffitum ampelitis cujuſdam ſeu bituminis nigri in Suſſexiae littore inventi, cum nitro aequali portione per-

(*u*) Riverius obſ. Cent. 2. obſ. 38. et in obſ. com. pag. 83.

misti, adhibuit cl. R. Russell (*x*): succini fumus ab aliis comprobatur.

Adhibentur etiam lotiones ex sale alcalino fixo paratae, ut oleum tartari per deliquium quod nominatur, cum aqua marina commistum, sapo Hispanus in lixivio solutus, et similia.

Solida usu roborantium firmanda.

Resolutis jam tumoribus, solida confirmare requiritur, vasis ultra tonum distentis vigorem reddere. Inter roborantia praecipue recenseri merentur ferri praeparata, cortex Peruvianus, lavatio frigida; horum usus ad prophylaxin praecipue et convalescentiam conducit, in ipsa etiam curatione corticis Peruviani vires experientia cl. virorum confirmatae sunt (*y*). Vinum Gallicum rubrum, *claret*, ad praecavendum morbum utilissimum esse ait cel. Whyte, et cortici Peruviano, quem respuunt prorsus multi infantes, succedaneum praestantissimum *.

Martialia in hisce casibus utilissima reperiuntur; tusses in puerulis scrofulosis saepe sanatas vidit cl. De Sauvages (*z*), longo usu ferri ad granum unum, aut aquae fontanae in qua clavi, claves ferreae infusa fuissent; testatur etiam apud rusticos Gebennenses, quorum mos est a-

(*x*) Oeconomy of nature, p. 188.

(*y*) Medical observations and inquiries, vol. 1. art. 18. vol. 2. art. 20.

(*z*) Nosol. meth. class. 10. gen. 2. sp. 3. Phthisis scrofulosa.

* On nervous disorders.

quam bibere ex cratere ferreo in ſcitulam ſemper merſo, raram ſcrofulam, ſed floridum vigere colorem. Hinc intelliguntur aquarum ferruginearum effectus in hiſce rebus expertiſſimi.

Roborantia haec intus aſſumpta primas vias primario afficiunt, ventriculum et inteſtina firmant, concoctrices vires adjuvant, unde digeſtione peracta rite, chylus purior, ſanior, ſanguini tranſmittitur, totum denique corpus excitatur.

Lavatio frigida quantum corpori firmando proſit, nemini ignotum; remotis igitur obſtructionibus gravioribus, proficue in uſum revocatur et hujus ope curationem terminare oportet. Neque negligendum exercitium corporis, ſiquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat. Victus ſalubris etiam praeſidia in auxilium advocanda, ſine quibus non niſi irrita forent omnia per medicamenta molimina. In remediorum etiam uſu diu continuandum, atrox enim malum vix poſt longum tempus iis cedit.

Haec ſunt remedia praecipua in dirum hunc affectum uſurpata; utinam omnia certius eum ſuperare valerent! Sunt et remedia quaedam tanquam efficaciſſima ab auctoribus magnopere decantata, qualia ſunt a ZACUTO LUSITANO unguentum quoddam e radice bryoniae, a BOYLEO (*a*) paronychia folio rutaceo ſeu ſedum tri-

(*a*) Uſefulneſs of experimental philoſophy, Eſſay 5. chap. 9.

dactylites in cerevisia tenui infusum, a FULLERO (*b*) decoctum tussilaginis, et nuper, a STORGKIO, extractum cicutae. Horum virtutes qui sapere cupit, ipsos auctores adeat.

Si strumae inflammatae jam sint seu suppuratae, hydropem, febrem hecticam, tabem seu phthisin pulmonalem induxerint, tunc aliae intentiones nascuntur, de quibus in praesentias non est propositi nostri aliqua conferre. Neque hic loci attingimus auxilia varia chirurgica, quae in ulceribus perversis, comitante saepissime ossium carie, vel pravis aliis symptomatis, requiruntur; neque chirurgorum conamina noxia plerumque, saltem inutilia, quibus tumores istos ferro exscindere vel erodentium ope consumere nituntur: si hae operationes aliquando profuturae sint, ab iis quae in aliis tumoribus et ulceribus adhibentur, parum vel nihilo diversae sunt.

(*b*) Medicina gymnast. p. 105. Lond. 1705

F I N I S.

CORRIGENDA.

Pag. 8. l. 11. *pro* interſtinctis *lege* interſtinctum.
P. 26. l. 21. *pro* gravitates *lege* gravitatis.